PANEGYRICUS

SERENISSIMO, POTENTISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO

FRIDERICO TERTIO,

Daniæ, Norwegiæ, Vandalorum Gothorumq; Regi, Principi Schlesvici, Holsatiæ, Stormariæ ac Dithmarsiæ, Comiti Oldenburgiæ ac Delmenhorst &c.

PIO FELICI AUGUSTO

Scriptus

à

JACOBO ROSENCRANTZ.

HAFNIÆ,

Literis PETRI MORSINGII, Reg & Acad Typogr. ANNO 1657.

DUlciſſimæ, &, qvod à Deo ſæpe ac ſeriò precatus ſum, florenti patriæ redditus, illud circumſpecta pietate & modeſtiſſima deliberatione apud me qvæſivi, qvemadmodum maximè gratus redirem, qvid prius loqverer, & qva potiſſimum voce ſincerum meum in Patriam cultum complecterer, & duraturo apud poſteros monumento inſignirem. Integerrimè & ſanctè dicam, non aliam vocem, qvàm qvæ mihi ſecundum Deum ſanctiſſima eſt, & non aliud prius nomen uſurpandum exiſtimavi, qvàm venerabile illud, & per univerſum mundum glorioſum,

OPTIMI REGIS MEI.

Nec illud acriùs qvam ſanctiùs elegi: Grande qvidem, & au-

gustum est Reges alloqvi, ubi nihil magis opus qvàm veneratione & prudentiâ, ne offendas. Sed ego illustriùs confundi nolebam, qvam inter Regias laudes: cum pulcherrimum illud in pietate vitium, immodicum esse, aut clementiâ regiâ, aut simplicitatis innocentia, gratiam omnino invenire possit. Nam invidiæ securus sum: siqvidem illum Principem saluto, qvi, si quis alius, adulatore opus nō habet aut precario elogio. In conscientiam virtutum suarum publicum diu admisit, ut nec famam sine experimento, nec gloriam sine publico assensu retineret. Ego sanctissimam vocem profanare nolebam, Deo & mundo teste locuturus; ambitionis & vanitatis causas procul habebam, ut modestiæ tantùm & veritati totam hanc

hanc panegyrim impenderem.
Inde loqvendi initium jam ſumpſi, unde ſalus noſtra magna & inuſitata felicitate exſurgit, & latius in dies effloreſcit. Ordinem fortunæ noſtræ ſecutus ſum, & in limine Patriæ illud primum, adoravi, unde felicitas noſtra ſe maximè æſtimat: ſanctè ſicut civem decet, liberè ſicut ingenuum, innocenter ſicut pium, omnia eloqvar. Sic inſtitutus ſum, ut affectus meos in Patriam abſcondere, aut intimos ſuper Principe meo ſenſus ignavo cultu transmittere impium ſemper & bono cive indignum judicaverim. Miror ipſe in me vim, & potentiam Patrii amoris, & vincentia pro exiſtimatione noſtra vota. Sejungebar à Patria grandi viarum, & itinerum intervallo: Albis Rhenus, Seqvana,

Ligeris, Rhodanus, & tot fluvii intercurrebant, & me meis eripiebant. Sed maximè in hoc pectore circumferebam Regem meum, & propius insidebat huic animo charissima Patria, qvàm ut tam divisus ab illa dividi & abstrahi possem. Intellexi re ipsa è longinquo acriorem in Patriam reverentiam esse. Verecundia nostra cum Patriæ amore commissa videri poterat, & in illo cogitationum certamine non satis ipse constitueram an verecundanti animo silentium, an voluntati egregiæ innocentem, & nulli invidendum stylum commodarem. Scio qvidem me ad illustrissimam argumenti dignationem & pompam afferre nil posse, nisi simplicissimam gaudii professionem ac voluntatem de Rege & Patria mea etiam

etiam apud peregrinos bona verba faciendi ardentiſſimam. Sermonem itaq; liberiùs & excuſatius ad TE REGEM meum dirigo, & ante ſolium tuum humillimo affectu procidens, humillimo ore & animo te appello:

SALVE AUGUSTISSIME REX.

Vivis miraculum, noſtra ſalus, mundi gloria, noſter amor, tua mihi primùm, tua mihi inter numina mentio erit, nec aliter rediiſſe velim, niſi ut te primùm venerarer. Sive Deum jam alloqvor, votum pro incolumitate tua nuncupabo, ſive publicum, ſolennes tibi gratias pro feliciſſima Imperii tui tranqvillitate & communi fortuna deberi publicè teſtor ac glorior. Non Titus magis ævi ſui qvàm tu no-

ſtri delicium es, nec ego id magis in hac luce & ſplendore familiæ meæ profiteor, qvàm qvi in caſis ſuis & tuguriolis gratiſſima recordatione & cultu Majeſtatem tuam, & ſuam ſalutem una veneratione ſuſpiciunt & Deo commendant. Vox publica, mea eſt, qvicqvid cives tui omnes ſentimus, unus eloqvar, ſine apparatu, ſine titulo: tantùm civis ſum, & tantùm credendus, quantùm, quæ loquor, nec ad Majeſtatis, nec ad innocentiæ pudorem pertinebunt. Illa me veritate circumſcribam, illud tantùm Rex meus audiet, SUB IMPERIO Ejus Nos eſſe FELICISSIMOS.

Una itémq; certiſſima humani generis ſalus Bonus PRINCEPS eſt, & nobis ita divina providentia favet, ut Optimum nobis

nobis cœlitus datum agnoſcamus & confiteamur. Augebatur & immane qvantum invaleſcebat temporum noſtrorum infelicitas, cum ab ipſo Deo coram & palàm reperiebatur Princeps noſter, qvi inter tot clades imperii & Regum obitus ruentem Patriam ſuſtentaret, & felici rurſum regimine conſervaret. Vidimus ipſo homagii die felicitatis mox rediturae pulcherrimum auſpicium. Deducebatur inter aras & arces Magnus REX noſter, ut in templo & ante pulvinar Dei regnum ſuſciperet, nec præſentem magis ac manifeſtum Deum obſervavimus: adeò ipſi ad illa conjurati venerunt gaudia venti, aſpiravit propitium cœlum pompæ utriq;, nec adverſum Pio REGI inter eundum & redeundum eſſe poterat;

 rat;

rat;certè ut initia qvoqve,& ipſe in regnum introitus,ordinem,& ſecuturi imperii fortunam nobis addiceret faventiſſimam. Nec aliter à cunctis omen acceptum eſt. Intelligimus jam bona noſtra atq; primi illius ominis pulcherrimum ſucceſſum. Cum optimo Principe optima fortuna nos in dies magis aſpicit. Nam ſi conſideramus ſeculum noſtrum, & totius prope mundi in ſe impulſi motus; ſi viciniam ipſam aut libidine regnandi, aut neceſſitate armorum in ſe concitatam, & penè jam deperditam, nos adhuc feliciſſimi ſumus Dei primùm munere, &, qvod omnino dicendum eſt, fortunâ ſanctiſſimi & Deo ſimillimi Principis. Nam ſanè periculoſum, & difficillimum tempus erat, cùm Te, Optime PRINCEPS publi-

publicæ salutis gubernaculis admovebat Deus. Regnum nostrum magna & inusitata tempestate collidebatur, irruerat in nos nuper æternus ille, & irreconciliabilis Patriæ hostis, partem ditionum nostrarum terrore, victoriis suis & iniqvissima pactione nobis eripuerat, atq; illud maximè ærumnosum, nobis reliqvit pereundi in pace potestatem; nam qvæ postea seqvebantur deploranda sunt: adeò primum illud armorum discrimen in omnem felicitatis occasionem qvotidie vergebat. Amissa classe, parte regnorum, nihil retinuimus nisi miseram qvietem, & mox ante cineres filii morituri rum Maximum Regem nostrum diviniſſimum Parentem tuum, CHRISTIANUM QVARTUM, nullo magis nomine pub-

licum Parentem, nisi qvia tuus esset, ideoq; nunqvam sine ingenti gemitu & sanctissima veneratione memorandum. Non aliud majus Reipublicæ nostræ vulnus unqvam impressum, qvàm metuendo illo tempore cùm clades & funera, & nescio qvi tristes casus tacitis ruinis rem nostram magis magisq́; involvebant. Illo nimirum tempore eligendus eras, qvod usu & fortuna & imperiis tuis dignissimum calamitates nostræ faciebant. Inter pericula, tumultus, dolores & desperata Patriæ discrimina suscepisti imperium, ut omnibus, jam te nos servare velle, atq; ideo opportunè venire, ostenderes. Sicut igitur turbines ac tempestates cœli & maris temperiem tantum commendant, atq; omnino gratior est

eſt ridens poſt nubila Phœbus: ita exiſtimamus annos illos calamitoſos & emortuales & pudendis hominum cupiditatibus damnandos præceſſiſſe, ut pacis & fortunæ tuæ gratia augeretur, & miſerrima Patria vi hoſtium inſidiisq; popularium penè circumventa, tanqvam ad vindictam & majorem fortunam Te Imperatore & auctore aſſurgeret, & convaleſceret illuſtriùs. Scilicet hæc ſola erat ratio, cur in ſinum tuum concuſſa Reſpubl. tum confugeret. Infelices nos eſſe & imperium noſtrum ruere debuit, ut in te & fortunam tuam erigendum incumberet, tuq; poſt occaſum illum illuſtrior nobis Sol & Conſervator affulgeres. Ut rerum, ita regnorum viciſſitudo eſt, varietatem leges mundi habent, &

in orbem qvendam ſe omnia circinant. Non omnium annorum fœcunditas eſt, intercurrunt qvoq; ſteriles aliqvot, ut pretioſior reditura annona fiat, & magis in votum & venerationem lætior ille poſt caritatem proventus veniat. Habet has vices mortalium conditio, ut adverſa ex ſecundis, ex adverſis ſecunda naſcantur. Nulli unqvam tam benigna fortuna fuit, ut favori ſuo perpetuitatem addere voluerit. Florent regna ut deficiant, deficiunt ut reſurgant iterum, & ad pulchriorem poſt clades ſuas vultum renaſcantur. Patriam ita noſtram, cùm inter belli & funerum calamitates contabeſceret, atq; ipſam animam prope ageret, Tibi, REX Optime, tradidimus, accepiſti turbatum regnum, & innumeris

malis

malis pene deformatum, ut felicitas noſtræ Te auctorem & Principem nacta totum ſuum periculum eluctaretur glorioſiùs. O fauſtum & auguſtum illum diem, inq; omnem poſteritatem meritiſſimis gratulationibus extendendum, qvo Tibi, REX Optime, aſſerendæ Patriæ, & ſervandorum hominum poteſtas allata eſt. Nos illo die Te non modò Principem, ſed qvod in Principatu beatiſſimum eſt, libertatem, ſalutem, ſecuritatem, pacem & omnem deniq; fortunæ tuæ fiduciam aſſumpſimus. Illa calamitatum noſtrarum indoles erat: extingvi aut qvieſcere mala noſtra niſi ſub bono Rege recuſârunt, nec alia lege Tu turbatum regnum admittere voluiſti, niſi ut pacatum præſtares. Illud in

 vir-

virtutibus tuis primùm admirati ſumus, novum illud & inauditum tuum ad Principatum iter. Nulla cupiditate mala, nulla dominandi libidine, aut honorum ambitione, nullo proprio emolumento aut fortunæ illecebris ad capeſſendam illam ſtationem perductus es. Nam prorſus ita ſe res habebat: Patria ipſa tam miſera erat, ut Recturo blandiri non poſſet, & Tu rebus tantùm feſſis in auxilium venire voluiſti. Regium exiſtimabas & pietati tuæ convenientius Patriam tùm regendam accipere, cùm felicem facere, ſicut unicè volebas, poſſes. Magnum hoc amoris in nos tui indicium, magnum felicitatis noſtræ auſpicium, Te in tam concuſſo Patriæ ſtatu imperium non abnuiſſe. Regem ex alio orbe, aliis aut moribus aut

ſa-

ſacris imbutum ; petendum non habuimus. Electio noſtra, Optimum ut ſolet, invenit, & Familia tua ſceptris & imperiis divinitus deſtinata ab æternitate ſua, qvam apud nos inductura eſt, excidere non debuit. Unum Te fortuna tua in occulto tenebat, qvi futurus Princeps eras & ætate, & fama, & longa rerum noſtrarum experientiâ tantæ moli par, qvi ad afflictum imperium, qvod maximè deerat remedium, attuliſti pacem; non odia aut novitatem, non exercitam armis violentiam aut erupturam poſt ſimulatæ clementiæ principia malitiam. Votum omnino noſtrum impleviſti, & nos minore periculo te Regem ſumpſimus, qvàm majores noſtri unqvam qvæſiverunt. Nam & antea pulcherrima exiſtimatio-

 ne

ne & notitia vitam famamq; tuam penetravimus, Te imperio deberi, etiamſi Celſiſſimum fratrem CHRISTIANUM divinum Principem, qvem improba nobis inviderunt fata, pietate & veneratione deſtinaveramus ad Principatum & ſucceſſionem, vel ſola te in Patriam & diviniſſimum Patrem Regem pietas perductura fuiſſet. Hoc ipſum imperium hoſtis tanta celeritate invaſerat, ut prope, anteqvam ſciremus, victorias ſuas jactaret, & celerato certamine inſoleſceret: Non de libertate ſua, non de injuriis noſtris, non de gloria, ſed de ignominiis noſtris & ſervitute deteſtanda invidioſiſſima noſtra bellum illud præcipitaverat. Tuam laudabilem illam, & pulcherrimo præſidio defenſam & conſer-

ſervatam provinciam hoſtis invaſit, ut in illuſtriori loco, inq; maximo imperio pietatis tuæ miraculum ſe efferret, & inter mundi venerationes porrò inclareſceret. Suſpexit & venerata eſt fortuna tam ſanctum animum, ne detrimento aut honoris aut famæ confunderetur, qvi Patriæ caritatem ſupra maximum periculum & omnem mundi gloriam habebat. Ergo celeberrima virtute evecto ad ſummum Patriæ culmen, diadema noſtrum ſed an pretium pietatis tuæ ceſſit, Patre jam defuncto, qvi vel ideo glorioſiùs mortalitatem exuit, qvod Tu illum in imperio ſeqverere, non filius modò, ſed (qvod rectè & ex animo ſemper gloriabimur) bonus ſucceſſor. Nam ſi ex ipſo ho-

magii auguſtiſſimi tui die res noſtras metiar: Si glorioſiſſima illa tua luſtra animo complectar, fateri neceſſum habeo, magnitudinem, pacem & fortunam noſtram cum Imperii tui annis prolixè creviſſe; ſola divina providentia ſecurus es, illam divini favoris fiduciam aſſumis, ut non aliunde Imperii tui fortunam expectes. Satis nobis exemplo eſt glorioſa illa veraq; divina actio, nulli ætati ſilenda: dum Mathematicum illud cœlum ejúsq; prophetam olim contemnebas, qvi, ut id genus hominum ſolet potentibus infidum & ſperantibus fallax, vaniſſimas qvasdam ſpes in ſuperſtitioſa papyro conſignarat. Aureos ſibi montes pollicebatur impoſtor ille; admiſſus eſt, & ut artis ſuæ contumeliam & ludibrium ipſe

videret, inanissimas literas ne legere qvidem volebas, sed regio plane & divino facto in ardentissimum focum projecisti. Fiet, Rex optime, fiet; qvam Tibi & nobis egregio facto promisisti fortunam asseqvemur. Nihil mundi conscientiam & stupores interrogabo, nihil hostium invidiam & indignationes, ipsi nos cives tui qvotidie experimur, qvantum fortunæ & imperio, virtuti & providentiæ tuæ pro maximis rerum nostrarum accessionibus & manifestis incrementis gratulari debeamus. Prospera nostra & insolitum modum evectæ opes nimium abundè ostendunt, qvàm bene & gloriosè imperium Patriæ in humeros se tuos reclinet, & qvàm divinitus summa illa potestas tibi contingat.

Dicam ſicut eſt: totius Patriæ læ-
tiſſima & veriſſima confeſſio eſt,
nec in aula tantùm & caſtris, ſed
& in ipſis tuguriis uſurpatur bea-
tiſſima vox illa, quæ Burrhi mo-
rientis ad Neronem erat; Ego
me bene habeo: ſic tibi optime
REX credas, non maximos tan-
tùm & medioximos in regno
tuo dicere, ſed & infimi ordinis
homines: adeò omnes, omnes Im-
perii & fortunæ tuæ uſum & læ-
tiſſimos fructus metimus. Atq;
hoc eſt ingens divini favoris, in-
gens providentiæ tuæ argumen-
tum, optime PRINCEPS: im-
perii qvisqve tui curas ad emo-
lumenta ſua pertinere, & ſalu-
tem communem intelligit; o-
mnes inter ſolicitudinem tuam
ſecuri ſumus, nemo fortunam
ſuam tardam accuſare habet.
Verbô: omnes per Te, REX
opti-

optime felices ſumus. Templa ipſa & religionis noſtræ innocentia nunqvam veriori gloriatione exultaverunt, qvàm per memoriam & exempla ſanctiſſimæ clientelæ tuæ. Ipſi Sacerdotes inter aras & altaria ſua prope triumphant ſuper pietate ſanctiſſimi Regis, qvi Regio zelô, & patriâ in Deum conſtantiâ Eccleſiam in his regnis ſic defendit & tuetur, ut ſua ſit, ut Dei ſit, & qvod per pietatem tuam ſperabimus, æterna ſit, atq; ad poſteros ſine impedimento & corruptelis integerrima ſanctitate porrò perveniat. Atq; in hoc pietatis tuæ fortunam admiramur: periclitabatur Religio noſtra, & ſinceritati ſuæ metuebat; partim vernaculo, partim externo ſcelere infeſtabatur; irrepſerant corrupta aliqvot in-

genia, qvæ ingeniosis fraudibus fidei nostræ fucum facerent, & eruditis in Religionem dolis, doctrinam Ecclesiæ aut odiosam facerent, aut, si fieri potuisset, tanqvam exitiosam perverterent. Latiùs atq; latiùs serpebat hæc detestanda pestis, ut nisi per tuam post Numinis vigilem tutelam immota stetisset, uno calamitatis jure totum religionis corpus involvisset. Sanctissimam itaq; justitiæ manum nunqvam pulchriùs occupatam, Deo patrio commodasti, perturbatores aut in exilia, aut ad pœnitentiam molitionum impiarum coëgisti. Jam, REX optime, Dei benignitate, & imperii tui sanctissima moderatione nihil à turbis istis, nihil ab hæreticorũ insidiis, aut religionum mixtione & inqvinamentis offendimur.

San-

Sanctiſſima Eccleſiarum noſtrarum jura ſunt: auctoritate Dei & piiſſimi Regis conſtant ſibi ſacræ diſciplinæ: ipſi ſacerdotes nunqvam aut immunitate, aut ſecuritate, aut veneratione hominum majore munia ſua qvam inter imperia tua explent. Florent Academiæ & Scholæ, qvibus tam Pius REX non edictis magis, qvàm exemplô æternam clientelam qvotidie, & coràm & ſeriò pollicetur. Macte, REX Optime, tam ſanctis imperiis; ipſa tibi pietas tua auguſtiſſimum pretium erit, nec Eccleſiæ & Academiæ in ſancta tua beneficia ingratæ erunt. Memorabimus inter aras & altaria, inter pulpita & cathedras ſanctiſſima præſidia tua; venerabimur pia illa exempla & defenſiones tuas, atq; illud præcipuè in omnibus

templis Deum flagitabimus, nobis ut diu intersis Dei præsentissima & felicissima tutela. Nec sancta tantùm sub imperiis tuis inclaruerunt: existimatio qvoq; & reliqva Magnitudo Daniæ universis in mundo Regibus aut in metum, aut in venerationem jam innotuit. Adeò Majestas ipsa se nobis & prisca illa regni nostri facies maxima hominum admiratione vel jam nobis rediit, vel per virtutum tuarum potentiam ac fortunam mox reditura est. Sentit hæc antiqvus ille Danici nominis hostis, qvi nunqvam magnitudinem nostram nisi in sui diminutionem acceperat, nostra incrementa oculis devorat, & suis nunqvam non maceratur decrementis. Sentit hæc inqvam, hostis noster insolens, & inter tam amica regna

nostra

noſtra immeritò mixtus. Sentit, inqvam, & ſuperbas paulatim voces, ínq; perniciem noſtram inſtructas molitiones, autem damnat, aut, qvod proximum est, inter pericula ſua & redeuntes in ſe clades non perſeqvitur. Audivimus non ita pridem indigniſſima illa conſilia, & ſparſa per ora hominum impotentiſſimum faſtum, nos vel nutu ſolo, & ad mandatum etiam longè abſentis victoris ſubigendos eſſe. Magnificè ſanè & ſatis pro imperio, ſi ad hanc formam cœtera eſſent. Interroget jam pudorem ſuum, interroget ruinas ſuas & noſtram libertatem, inqvieta illa gens & in res novas avida, an in ſuis manibus & nutu, imperii noſtri ſalus, aut ſervitus ſit. Refudimus faſtuoſo hoſti proximorum annorum metum, recepit ipſe miſſam

in nos formidinem, atq; illud præcipuè converſo fortunæ munere jam diſcit amplius in Dania Majeſtatem REGIS agere, ampliùs promotas vires & conſilia noſtra, qvàm ut minis & terrore vincamur. Poſt hæc ſi volet in cautes ſe ſuas, & extra mundi conſortium remota clauſtra ſe recipiat, regni modum ſervet, nihil ex memoria veteris fortunæ agat. Contemnere poſſumus ſuperbiſſimas literas, & poſtulatam à nobis toties fœderum noſtrorum rationem. Inania hæc ſunt: remittimus illi verborum injurias: inſitus animis noſtris Regis & Libertatis amor, impetrata per rerum ſucceſſus arma, ſociorum fides, & alia ad glorioſiſſimam vindictam maniſeſtiùs hortantur, qvàm ut ampliùs piam gentem per fraudes

ſuas & inanem potentiam illudat. Sentiat mundus famam, nihil de nobis Majoribusq; noſtris mentitam eſſe. Nos modò veterem Cimbricam virtutem Orbi repræſentemus. Faxit Rex noſter ne in Duce ſummorum Anteceſſorum VALDEMARI, FRIDERICI, CHRISTIANI virtutem reqviramus. Taceam annonam, qvæ ſub imperiis tuis ita redundavit, ut ipſa horrea tam inſolitæ Cereris fœcunditati vix ſuffecerint. Non aliud ſeculum tam benignum aërem & obſeqventia votis noſtris ſidera ſenſit. Tellus, æqvor & circumfuſa Balthes, ipſi fluvii & amnes, in Patriæ & imperii tui commendationem, omnem abundantiam, & divitiarum ſuarum varietatem commodavere, ut ad totam

magnitudinem ſuam Danus hac qvoq; felicitatis parte, Te impeperante, frueretur. Atq; inter tam florentes, & ex votis omnino noſtris fluentes res noſtras, nihil inſignius, aut magis in imperio tuo adorandum vidimus, qvàm optimam illam, & ſua varietate auguſtam pacem regni tui indiſſolubili fœdere nos complexam eſſe. Nam qvòd nos inter tot arma Principum flagrantem bellô, non dicam viciniam, ſed totum terrarum Orbem, hinc ambitum & libidinem, inde neceſſitatem, tuti ſumus: qvòd poſiti inter ſævum, &, qvod pejus, amicum hoſtem, qvi affinitatem, & jacentes adhuc in limine noſtro Reſpublicas in occaſionem turbarum qvotidie ſolicitat, & clandeſtino ſcelere ſibi adjungit, nihil moveamur, hoc ſolius Dei

mu-

munere,& tua, REX Optime, fortuna contingit. Status pacis noſtræ adhuc ille eſt, ut nec ab hoſte everti poſſit, nec ipſe ſe turbaturus unqvam. Nam & illud ſuô malô didicerunt magna Imperia, pacem interdum plus qvàm manifeſta arma publicas res affligere, cùm deſides populi optatô pacis bonô abutantur, & Principum aut ignaviâ, aut ingenioſo luxu, aut alio imperatoriô malô effœminentur, & in ruinam ſuam execrabili deſidiâ revolvantur. Sed nos tuâ vigilantiâ, REX optime, pacem uſurpavimus, qvæ nec tuæ gloriæ, nec noſtris emolumentis adverſa eſſe volebat. Agnoſcimus gratiſſimîs animis Divinas illas tuas curas; qvòd ſollicitus pro tuis ſubditis vivas, qvòd noctes atq; dies pro illorum ſalute ex-

cubes, in omnia pariter attentus & ſuccinctus. Sanctiſſimam tuam pro incolumitate noſtra ſolicitudinem Optime PRINCEPS, non poſſumus non venerari: illud enim ſumma ope Magnitudini tuæ enitendum exiſtimâſti, ne fundata pace felicitas noſtra pacis abuſu contabeſceret. Etenim nulla Imperia ſine pace tuta ſunt, & nulla unqvam pax niſi per juſtitiæ & fori integritatem conſervari poteſt. Spartanorum virtus primum & mox omnium gloria cum Philopœmene interiit. Nec mirum, ſolvebãtur in muliebres delicias Martiales illi animi, pacem ſuam transmittebant, de claſſe, de copiis ſecuri, & publicis feſtivitatibus & extruendis fanis opes proluebant; qvibus deliciarum illecebris dum ſeſe ingurgitant,

crevit

crevit externa vis,&Græciæ qvę nec pacem nec bellū pati poterat, ſervitutē impoſuit. Dudum liberâſti regna tua, REX Optime, tanti periculi metu, aſſeruiſti pacem noſtram, dum juſtitiæ negotium publicè & privatim ageres. Impatientiam primò dominationis tuæ & ſceptri invidiam admiranda moderatione & humanitatis tuæ fortunâ confudiſti. Pauci, qvod in gloriam imperii tui dicendum eſt, pauci tuam & juſtitiæ vindicem manum irritarunt, leges & ſanctiones in metum & metum & vindictam novorum ſcelerum paucæ conſtitutæ ſunt; in corruptiſſima enim Republica plurimæ leges; qvibus interdum non minùs qvàm flagitiis laboratur. Antiqvas illas & tam longo temporum uſu venerandas leges

 (bo-

(bone Deus!) qva auctoritate & præſidio anniverſariis comitiis tueris ipſe, & nobis integerrima juſtitia commendas. Conventus enim illos & profunda illa cum Maximis miniſtris & Senatoribus tuis judicia ſi cogito, pacem noſtram non aliunde ſibi conſtare ſeriò crediderim. Tam publicè nobis REX optime, & qvæſo, qvàm gravis, intentus, ſeverus, & ſæpius mitis ac miſericors appares. De Velleda legimus, illum coràm adire aut alloqvi negatum, ut majorè longinqvo reverentia eſſet Tu REX Optime meliore viâ tuum defendis: ipſe te nobis offers, nec arcemur aſpectu tuo, audis ipſe nos, & unicuiqve defenſionem tribuis, communesq; illas loqvendi & audiendi vices. Reus & Actor in tam grandi conſeſſu

ean-

eandem licentiam habent, vel per ſe, vel per Oratores publicos, in primis ſuas aut accuſationes aut defenſiones promere; Sæpe enim mollior in calamitate ſua qvibusdam animus, & multis contingit qvod Publio Celeri, cui nec animus in periculis, nec oratio ſuppeditabat. Atq; hac ratione paci noſtræ omnia inqvinamenta & peccandi audaciam adimis. Nec corruptis & malis ſua ſcelera largiris, ut exempla honeſta ab aliorum delictis & pœnis oriantur. A ſegete niſi ſentes & lolium vellat agricola, ipſe fœcunditatem ſuam retardari ſinit; ita qvicqvid cum damno diſciplinæ agitur, plectendum eſt, & niſi boni ſimus, nec Te Regem, Optime REX, habere poſſumus, nec pacem integram, nec dulciſſimum illud

fortunæ tuæ commercium. Si qva in liberalitate divinitas eſt, Tu iſtam dudum conſecutus es; nam illud gloriari habemus, non alium Regem erogandæ ad honeſta pecuniæ cupientiorem. Perdere multi ſciunt, donare neſciunt: Sed, Optime REX, egregiè diſpenſas clementiam in nos tuam. Non ut Nero nobilium familiarum poſteros egeſtate venales in ſcenã deducis: nec ut Vitellius ſine modo, ſine judicio &tua & aliena largiris. Honeſtam bonorum paupertatem liberalitate admiranda qvotidie levas, nec pateris linqvi inglorios, aut fortunæ injuriâ exſtingvi, qvos generis claritas commendat. Tiberius cùm omnes virtutes exueret, hanc ſolam retinuit, qvâ ſolâ Majeſtatem Imperatoriam tueretur. Tu verò cùm omnes

am-

amplexus ſis, hanc inter cœteras eminere vis, ut rariſſima moderatione veram illam & ſolidam gloriam conſeqvaris, non habere tantum felices cives, ſed & fortunæ communione feciſſe. Luxus, avaritiæ, libidines,& qvicqvid bonæ paci infeſtum eſt,omne proſcribitur,& meritiſſima punitione regnis exſcinditur. Rareſcunt ſenſim, qvos improbitas ab honeſtate transverſos agit, qvi legum pœnas in ſe exacerbant. Ipſe, ipſe, REX Auguſtiſſime, Optimus es: blandiſſimum omne tuum imperium eſt,nec cogis honeſta, ſed exemplo jubes. Nihil blandior virtutibus tuis, ſed mundo teſte loqvar, admiranda animi moderatione illud conſecutus es, ut in maxima fortuna, minimâ licentiâ utaris,nec qvicqvam

licitum tibi credas, nisi qvod cum virtute & honestate conjunctum. De te id Deo coràm jurare possumus, illa te integritate & sanctimonia in illo fastigio tuo agere, ut nemo magis tuis legibus obstrictus vivat ac tu ipse: adeò mandatorum conditio communis est. Jubes honesta pia & laudabilia, & ipse qvoq; obseqvii gloriam affectas. Sponte præscripta legum tuarum imples ipse; compescis potestatem tuam, nec licentiam Regiam, nisi placidè & moderatè usurpandam existimas. Breviter, & uno verbo: OPTIMUS ES, Regumq; in hoc mundo EXEMPLAR. Atq; ita diu, inter admirationes & amores publicos, pacem nostram REX Optime sustentasti. At jam Patriæ nostræ salus in laudatissima consilia pru-

dentiam tuam evocavit, dum omnis prope mundus & vicina maximè regna mutuis diſcordiis & in nos tandem erupturis armis ſæviunt. Dum ambitionem ſuam undiq; circumfert, totius Germaniæ irreparabili damno, orbi plus ſatis notus hoſtis, cum ſummis Senatoribus tuis conſilium iniviſti, qvemadmodum publicô præſidiô pacem noſtram armares, fraudesq́; illas qvæ ſub titulo dulciſſimæ pacis irrepſerunt, repelleres. Optime REX publicas nunc à me accipe voces: Conſilium illud tuum juxta ſalutare nobis eſt atq́; ſanctum. Omnia, omnia noſtra in defenſionem Majeſtatis tuæ & Patriæ ſalutem jam diu offerimus, pacem noſtram ſecundum Deum Tibi tradimus: tuêre munera tua. Cum

Libertas noſtra, cùm Imperii tui dignitas te ad armorum neceſſitatem deſcendere coëgerit, ſeqvemur nunc lœti, & fortunam nobis tuam ubiq; pollicebimur. Reddemus in acie gratiam tam longi & moderatiſſimi Imperii. Opes, & qvod opibus præfertur, ſangvinem in gloriam tuam & Patriæ inſtaurationem lœtiſſimi profundemus. Perge ad tam illuſtria, perge libertatem ſubditorum tuorum promovere, ne in jugulum ſemper noſtrum inſultet efferus ille hoſtis, qvi in minas ſuas faſtu & ultione DEI protractus videtur. Occlude tandem vaferrimis, qvi ex rapto vivere conſeverunt, omnes diripiendi vias: ut ſentiant JEHOVAM JUSTUM eſſe JUDICEM, & partibus tam divini Principis

affu-

affuturum. Sed adesse, imò planè præsentissimum Tibi esse DEUM jam nunc sentit iniqvus ille in explebilis cupiditatis conqvæstor, qvi non Sarmatas modò, sed Cimbros qvoq; Normannosq; tuos spe devoraverat: ideoq; tuam nunc in mari horret formidatq; præsentiam & classem suam latebras qværere jubet. Tibi verò tuus gestit Codânus salientibusq; undis qvasi tripudiat, & lætatur Te, antiqvum tutorem suum, classe Domina per se vehi, Illiusq; passim qværere nusqvam invenire cataphractas, qvi non ita pridem, Maris se Balthici Dominum falsò, & intolerantissimè Tibi, jactare non est veritus. Tu modò acrior insta, REX AUGUSTISSIME, &, ut cœpisti bellè, nostra porrò pericula fortiter averte,

imperio ut tuo pax tandem tuta coaleſcat, nobis verò libertas & felicitas plena contingat, eademq; perpetua ſit.

Ita

DOMINVS PROVIDEBIT

&

TU VIDEBIS.